HOMILIA

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

HABITA

IN DIE NATALI CHRISTI DOMINI

Inter Missarum Solemnia

IN BASILICA PRINCIPIS APOSTOLORUM

ANNO MDCCII.





FLORENTIÆ, MDCCIII.
Typis Regiæ Celsitudinis
Apud Petrum Antonium Brigonci.

Superiorum Permissu.





OX præceſſit, Dies appropinquavit: dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ; in quo ſcilicet fecit Dominus novum ſuper terram; noſtræque memor infirmitatis, de ſummâ paternæ claritatis altitudine deſcendens, terrena viſitare non eſt dedignatus, & amiſſam mortalibus lucem fulgidâ adventus ſui coruſcatione reſtituit. Venit deſideratus cunctis gentibus, à Libano venit, à regalibus ſedibus venit: aperta eſt terra, & germinavit Salvatorem. Omnis jam veteris prævaricationis ſolutus eſt metus, quem dæmonis dudum fraudibus circumventa incurrerat humana fragilitas. Redit in honorem ſuum ab antiquis contagiis purgata natura, redit in innocentiam iniquitas, in novitatem vetuſtas; Deos quippe facturus, qui homines erant,

homo factus est , qui Deus erat : nec amittens quod erat , fieri voluit ipse quod fecerat. Fecerat Deus hominem in exordio temporis ad imaginem , & similitudinem suam: factus est Deus homo in plenitudine temporis ad imaginem, & similitudinem nostram. Primus homo de Terrâ terrenus, secundus homo de Cœlo cœlestis. Ille præcepta Dei negligens , peccati induxit damnationem: hic factus sub lege reddidit justitiæ libertatem. Ille, cùm esset homo, Deus esse voluit, ut periret: hic, cùm esset Deus, homo esse voluit, ut, quod perierat, vivificaret. Ita sanè , qui ante tempora erat unicus Patri , unicus in tempore natus est Matri . Immortalis cum Patre , mortalis ex Matre. De Patre principium vitæ, de Matre finis mortis. Post Matrem de Matre factus, ante Matrem de Patre non factus : sine quo Pater nunquam fuit , sine quo Mater nunquam fuisset. Mirabilis quidem potentia , sed planè mirabilior misericordia , quod Ille, qui sic nasci potuit, sic

na-

nasci voluerit. Voluit sic nasci Deus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, antiquæ superbiæ vulnera insuetæ humilitatis remedio curaturus: eo proinde tempore inter homines adscribendus, quo gentium Imperatrix Roma humani generis capita singula, ad superbam imperii gloriam, jusserat recenseri. Virgineo pendentem ex ubere natum Dominum primi omnium pauperes gregum custodes, monentibus Angelis, invenere; ea nimirum, quæ à sapientibus, & prudentibus absconderat Altissimus, parvulis revelavit, voluitque nativitatis suæ testes esse Pastores, qui Discipulos excepturus erat Piscatores. Cœlestem infantem vilibus involutum pannis, gelidâ nocte hyberna frigora geminante, agrestes paleæ, aspera gramina circumdant. Divinam Genitricem, cui locus in diversorio non fuerat, antrum excipit suburbanum. Inops mater, inops filius, inops tugurium. Mater in fœno, Filius in præsepio. Hoc elegit Mundi Fabricator hospitium: has habuit delicias

sa-

ſacræ Virginis puerperium. O inanem hominum faſtum naſcentis inter mortales Dei humilitate depreſſum! O fallaces divitias Chriſti paupertate damnatas! O fluxas Mundi voluptates Redemptoris noſtri cunabulis ſubverſas! Addiſcamus, Dilectiſſimi, nova hæc erudientis nos ſapientiæ documenta à nondum loquente Magiſtro. Falsò Chriſtiani dicimur, ſi Chriſti imitatores non ſumus. Attendamus ad petram, unde exciſi fuimus, & ad cavernam laci, de qua præciſi fuimus; Amemus Filii, quæ Pater amavit; Sequamur Servi viam, quam ſecutus eſt Dominus. Diximus nuper cum Apoſtolo: Primus homo de Terrâ terrenus, ſecundus homo de Cœlo cœleſtis: Addimus nunc cum eodem Apoſtolo: Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Abiiciamus opera tenebrarum, quas filius Dei venit diſſolvere: induamur arma lucis, quam oriens æternus Sol de Cœlo portavit; ut ita regenerationis noſtræ reſponden-

tes

tes dignitati, ac, ſicut in die, honeſtè ambulantes, auxiliante Domino, & perducente nos ad promiſſiones ſuas, Salvatorem Mundi, quem hodie in noſtrâ carne naſcentem adoramus in Terris, perpetuò in ſua majeſtate regnantem videre mereamur in Cœlis.

